



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Qvæstio Octvagesima Qvarta. De Sacramento pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Disputatio I. De Pœnitentiâ in communi.

4

virtutis, nisi prout subest interiori, & ab eo informatur. Simili modo sacramentum pœnitentiæ non ita dicitur esse in exteriori actu, ut nullo modo interiori includatur: nam etiam contritio est pars huius sacramenti. Dicitur ergo esse in exteriori actu, quia solus interior nunquam sufficit ad rationem sacramenti constituendam: imo ut ipsa contritio interior aliquo modo sit pars sacramenti, necesse est ut ad exteriorem actum extendatur, per illum aliquo modo fiat sensibilis, & exterius manifestetur.

Pœnitentiâ virtus pars sacramenti.

Hinc potest tertia differentia constitui, quoniam virtus & sacramentum pœnitentiæ comparantur ut totum & pars, nam virtus per actum suum est pars sacramenti pœnitentiæ, quod componitur ex actibus pœnitentis, & absolutione sacerdotis. Sicut autem sacramentum non habet suum esse ex natura rei, sed ex impositione diuina, ita virtus pœnitentiæ non habet quod sit pars sacramenti ex natura sua. Vnde ante legem gratiæ non erat pars, neque etiam nunc est in homine non baptizato, tamen ex diuina institutione habet hanc habitudinem, quia sacramentum est veluti quoddam artificiale: sepe tamen contingit, ut quod ex natura sua est quoddam totum, fiat pars alicuius entis arte facti.

Quomodo de gratiam.

Ex eodem etiam principio differunt quarto in modo causandi remissionem peccati, & gratiam: vtrumque enim, ut notat Magister supra, est causa gratiæ, & remissionis peccati, tamen diuerso modo: nam virtus tantum est causa disponens: sacramentum vero est causa efficiens. Vnde dicitur conferre gratiam ex opere operato: virtus vero proprie non dicitur conferre gratiam, quia remittitur peccatum, sed obtinere, & quasi impetrare illam ex dispositione operantis: non tamen proprie ex merito, scilicet de condigno: nam de congruo probabile est, ut alibi latius tractandum est.

Origo pœnitentiæ. Thom.

Ultimo differunt in origine, antiquitate, & quodammodo in diuersitate. Primam partem sumo ex Diuo Thom. dict. q. art. 7. ubi hoc discrimen ponit, quod sacramentum pœnitentiæ ortum habuit ex institutione diuina: virtus autem (inquit) est de iure nature, quod etiam habet Vincent, ubi supra. Et primum quidem per se notum est ex generali doctrina sacramentorum: omnia enim sunt ex Christi institutione. Item, quia potestas remittendi peccata, non poterat hominibus continere ex natura rei, nisi à Christo data fuisset. Secundum autem, scilicet, quod virtus pœnitentiæ sit ex iure nature, difficile visum est Caietano articulo 7. & ideo nonnulla explicatio opus est.

Sine pœnitentiâ de lege nature.

Aduertendum ergo est, ius nature duobus modis sumi posse: primo pro dictamine rationis naturalis pure sue præ, absque illustratione gratiæ: secundum pro dictamine contra naturam ipsi gratiæ, seu rationali nature, ut illuminata lumine fidei: quomodo distinguuntur à Theologis tres status, seu leges humani generis, scilicet status legis nature, & veteris, & legis gratiæ. Primus enim status gratiam & fidem includere debet. Dicitur autem fuisse legis nature, quia in ea tantum erant præcepta connaturalia gratiæ & nature. Si ergo in prædicta differentia lex nature hoc posteriori modo sumatur, res est facilis, ita enim pœnitentiâ dicitur esse de lege nature, sicut fides, & charitas: nam ratio illustrata lumine fidei, & prudentiâ infusa, connaturaliter dicitur, honestum & rectum esse agere pœnitentiâ de peccatis commissis: dicitur etiam huiusmodi pœnitentiâ non solum esse honestam, & rectam, sed etiam esse debitam, ut infra dicemus, agentes de præcepto contritionis. Denique dicitur, esse vtilem & convenientem dispositionem ad obtinendam à Deo veniam de offensa commissa in ipsum: & ideo agere pœnitentiâ cum spe veniæ semper fuit hominibus necessarium, etiam in statu legis nature. Hoc vero ius, quamuis dicatur connaturale gratiæ: non excludit diuinam

ordinationem, & promissionem de remittendo peccato homini veram pœnitentiâ agenti: hæc enim ordinatio necessaria simpliciter est, ac pendens ex speciali gratia Dei, ut infra suo loco dicam: est tamen consentanea & proportionata tali dispositioni, & quasi connaturalis illi: & ideo dicitur esse de iure nature in prædicta significatione.

At vero, si ius nature alio modo sumatur, multa quidem sunt in virtute pœnitentiæ, quæ non possunt esse illo modo de iure nature, præsertim loquendo de pœnitentiâ infusa: illa enim nuda ratio naturalis cognoscere non potest, ut possibile homini, nedum ut vtilem & necessariam. Item latius incertum est, an sola ratione naturali cognosci possit peccatum hominis esse iniuriam, & offensam Dei, ratione cuius sit illi necessaria pœnitentiâ. Nihilominus, si pœnitentiâ late sumatur pro quacunque displicentiâ, vel dolore commissi peccati, cadere potest sub cognitionem rationis naturalis. Primo, quia talis displicentiâ naturaliter existimari potest, & sensibilis, & honesta: quia eadem ratio, quæ dicitur bonum esse, amare, vel exercere iustitiam, dicitur etiam honestum esse odisse vitium contrarium, & consequenter detestari illud, si commissum sit: item quod possit esse vtile ex natura rei ad bonos mores, & ad vitæ emendationem. Atque ita simpliciter qualibet pœnitentiâ dici potest suo modo de iure nature, & habere in ipsa natura fundamentum aliquod, ratione cuius habet maximam proportionem cum illa.

Antiquitas pœnitentiæ.

Ex quo etiam constat, cur hæc dicantur antiquitate differre: nam virtus pœnitentiæ longe antiquior est sacramento: hoc enim in lege noua, etiam post Christi mortem initium habuit, ut infra ostendam: illa vero ab initio mundi, etiam ipsum primum hominem eduxit à delicto suo, ut sumitur ex Sapientiæ 10. & in omni lege permanit, ac necessaria fuit, & cum ipso etiam sacramento permanet. Vnde etiam addidi, differre diuturnitate seu permanentia, propter ea præsertim, quæ docet D. Thom. dict. quæst. art. 8. & 9. ubi ait, interiorem pœnitentiâ debere durare vsque ad finem vitæ, de exteriori vero, sub qua sacramentum præcipue intelligit, negat id esse necessarium, aut convenientius, seu semper vtilius. Quod intelligo, per se loquendo, nam interior pœnitentiâ ratione suæ honestatis, & vilitatis, & quia est internus cultus Dei exerceri potest vsque ad mortem: & moraliter loquendo potest ita fieri secundum rectam prudentiam: quod non ita est in exteriori, vel sacramentali pœnitentiâ, quæ requirit semper aliquam vel necessitatem, vel peculiarem occasionem, & convenientem etiam mensuram, ut exerceatur. Et ideo pœnitentiâ virtus, seu interior, diuturnior existimatur. Quæ & continua dici potest, quia semper habenda est, non quidem in actu, sed saltem in habitu, ut Diuus Thom. declarat dict. articulo 9.

Sap. 10.

D. Thom.

QVÆSTIO LXXXIV.

De Sacramento Pœnitentiæ, in decem Articulis diuisa.



Consequenter considerandum est de sacramento pœnitentiæ. Circa quod primo considerandum est de ipsa pœnitentiâ: secundo de effectu ipsius: tertio de partibus eius: quarto de suscipientibus hoc sacramentum: quinto de potestate ministrorum, quæ ad eam pertinet: sexto de solemnitate huius sacramenti.

Circa primum queruntur decem. Primo, vtrum pœnitentiâ sit sacramentum, Secundo, de propria materia eius.

Tertio

Tertio, de forma ipsius.

Quarto, utrum impositio manus requiratur ad hoc sacramentum.

Quinto, utrum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.

Sexto, de ordine eius ad alia sacramenta.

Septimo, de institutione eius.

Octavo, de duratione ipsius.

Nono, de continuitate eius.

Decimo, utrum possit iterari.

ARTICVLVS I.

Utrum Penitentia sit sacramentum.

4 dist. 14 q. 1. art. 1. qu. 1. et d. 22 q. 2. art. 1. q. 2. cor. 1. q. 10. Molis sacra- mentum.



Primum sic proceditur. Videtur, quod penitentia non sit sacramentum. Greg. enim dicit, & habetur in Decreto, 1. q. 1. Sacramenta sunt baptismus, chrisma, corpus & sanguis Christi: quia ob id sacramenta dicuntur, quia sub regimento corporalium rerum, diuina virtus se- cretus operatur salutem. Sed hoc non contingit in penitencia, quia non adhibentur aliquae corporales res, sub quibus diuina virtus operetur salutem: Ergo penitentia non est sacramentum.

quaest. 66. art. 1.

2. Praeterea, Sacramenta Ecclesiae à ministris Christi exhibentur, secundum illud 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Sed penitentia non exhibetur à ministris Christi: sed interius à Deo hominibus inspiratur, secundum illud Hier. 31. Postquam conuersisti me, ego penitentiam: Ergo videtur quod penitentia non sit sacramentum.

quaest. 66. art. 1.

3. Praeterea, In sacramentis, de quibus iam supra diximus, est aliquid, quod est sacramentum tantum; aliquid quod est res & sacramentum, aliquid quod est res tantum, ut ex praemis patet: Sed hoc non inuenitur in penitencia. Ergo penitentia non est sacramentum.

Respondio lo- quor in art. 1.

Sed contra est, quod sicut baptismus adhibetur ad purificandum à peccato, ita & penitentia. Vnde, & Petrus dixit Simoni, Act. 8. Penitentiam age ab hac nequitia tua. Sed baptismus est sacramentum, ut supra habitum est: Ergo pari ratione & penitentia.

Respondendo dicendum, quod sicut Greg. dicit in c. supra dicto, sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit, ut aliquid significatiue accipiamus, quod sancte accipiendum est. Manifestum est autem, quod in penitencia ita res gesta fit, quod aliquid sanctum significatur, tam ex parte peccatoris penitentis, quam ex parte sacerdotis absoluentis: nam peccator penitens, per ea quae facit & dicit, ostendit cor suum à peccato recessisse. Similiter etiam sacerdos per ea quae agit & dicit circa penitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifestum est, quod penitentia quae in Ecclesia agitur, est sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomine corporalium rerum intelliguntur large, etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum, quod in illis sacramentis, in quibus confertur excellens gratia quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterior: sicut in Baptismo, ubi sit plena remissio peccatorum & quantum ad culpam, & quantum ad poenam: & in Confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti: & in Extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quae prouenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Vnde, si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositiue se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiae, ut accidit in penitencia, & Matrimonio. Sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exteriores adhibite, sicut emplastra, &c.

Fr. Suarez tom. 4.

A lectuaria: quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam.

Ad secundum dicendum, quod in sacramentis, quae habent corporalem materiam, oportet, quod illa materia adhibeatur à ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi, in signum, quod excellentia virtutis in sacramento operantis est à Christo. In sacramento autem penitentiae (sicut dictum est) sunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna. Vnde materia non adhibetur à ministro, sed à Deo interius operante. Sed complementum sacramenti exhibet minister, dum penitentem absoluit.

Ad tertium dicendum, quod etiam in penitencia est aliquid quod est sacramentum tantum, scilicet actus exterior exercitus, tam per peccatorem penitentem, quam etiam per sacerdotem absoluentem: res autem, & sacramentum, est penitentia interior peccatoris: res autem tantum, & non sacramentum, est remissio peccati. Quorum primum totum simul sumptum, est causa secundi: primum autem & secundum, sunt quodammodo causa tertii.

COMMENTARIVS.

Supponit D. Tho. in hoc articulo, esse in Ecclesia caeremoniam quandam sensibilem, seu actionem externam, per quam remissio peccatorum quae post baptismum commissa sunt, & significatur, & confertur. Quam veritatem, ut certam & apud Catholicos manifestam, supponit ex usu Ecclesiae. Ideoque de huiusmodi caeremonia seu actione, quam nomine penitentis, in titulo articuli significauerat, optime concludit esse sacramentum: nam illi conuenit definitio sacramenti superiori tomo tradita: cum de sacramento in communi ageremus, ut per se notum est. Et ob hanc causam, cum in titulo simpliciter interrogasset, an penitentia sit sacramentum, in fine corporis articuli cum limitatione concludit: Vnde manifestum est, quod penitentia, quae in Ecclesia agitur, est sacramentum, id est, non omnis penitentia, sed illa, quae exteriori ritu à Christo instituta in Ecclesia fit, & per potestatem à Christo collatam confertur, atque perficitur. Atque ita est clara litera corporis articuli. In solutionibus autem argumentorum exponit D. Th. quomodo actus penitentis sit materia huius sacramenti, & quid in eo sit res tantum; sacramentum tantum, & res & sacramentum simul: quae omnia inferius à nobis explicabuntur.

ARTICVLVS II.

Utrum Peccata sint propria materia huius sacramenti.



Secundum sic proceditur. Videtur quod peccata non sint propria materia huius sacramenti. Materia enim in aliis sacramentis per aliqua verba prolata sanctificatur, & sanctificata effectum sacramenti operatur. Peccata autem non possunt sanctificari, sed quod contrariantur effectui sacramenti, qui est gratia remittens peccata. Ergo peccata non sunt materia propria huius sacramenti.

2. Praeterea, Aug. dicit in lib. de penitentia: Nullus potest inchoare nouam vitam, nisi eam veteris vitae peniteat. Sed ad veritatem vitae pertinent, non solum peccata, sed etiam penales praesentis vitae: Non ergo peccata sunt propria materia penitentiae.

3. Praeterea, Peccatorum quoddam est originale, quoddam mortale, quoddam veniale. Sed penitentia sacramentum non ordinatur contra originale peccatum, quod tollitur per baptismum, neque contra peccatum mortale, quod tollitur per confessionem peccatoris, nec etiam contra veniale, quod tollitur per iunctionem peccatoris, & per aquam benedictam, & alia huiusmodi. Ergo peccata non sunt propria materia penitentiae.

Sed contra est, quod Apostolus dicit, 2. Cor. 12. Non egerunt

In solu. praed.

li de Medicina peniten. c. 2. non longe à principio tom. 9. Art. praeced. ad 1. & 2.

A 3

penitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt.

Respondeo dicendum, quod duplex est materia, scilicet proxima & remota, sicut status proxima materia est metallum, remota vero, aqua. Dicitur est autem, quod materia proxima huius sacramenti sunt actus penitentis: cuius materia sunt peccata, de quibus dolet, & qua confitetur, & pro quibus satisfacit. Unde relinquitur, quod remota materia penitentia sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de proxima materia sacramenti.

Ad secundum, dicendum, quod vetus & mortalis vita est obiectum penitentis, non ratione peccati, sed ratione culpa annexa.

Ad tertium dicendum, quod penitentia quodammodo est de quolibet peccatorum genere: non tamen eodem modo. Nam de peccato actuali mortali est penitentia proprie & principaliter. Proprie quidem, quia proprie dicimur penitere de his, que nostra voluntate commisimus: principaliter autem, quia ad deletionem peccati mortalis hoc sacramentum est principaliter institutum. De peccatis autem venialibus est quidem penitentia proprie, in quantum sunt nostra voluntate facta: non tamen contra hoc principaliter est hoc sacramentum institutum. De peccato vero originali penitentia nec principaliter est (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus) nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas ad eum reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus licet Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur penitentia, pro quacunque detestatione rei preterite, potest dici penitentia de peccato originali: sicut loquitur Augustinus in lib. de Penitentia.

In lib. de vera & falsa penit. s. 10. 4. Et in lib. de Penit. medicina c. 2. to. 9.

ARTICVLVS III.

Utrum hæc sit forma huius sacramenti.

Ego te absoluo.



Dicitur sic proceditur, videtur quod hæc non sit forma huius sacramenti: Ego te absoluo. Forma enim sacramentorum ex institutione Christi, & Ecclesia vsu habentur. Sed Christus non legitur hanc formam instituisse, neque etiam in communi vsu habetur, quinimo in quibusdam absolutiombus: que in Ecclesia publice sunt (sicut in Prima, & Completorio, & in Cena Domini) absolvens non videtur oratione indicatur: ut dicitur: Ego vos absoluo, sed oratione deprecatur, cum dicitur: Misereatur vestri omnipotens Deus: vel: Absolutionem & remissionem tribuat vobis omnipotens Deus. Ergo hæc non est forma huius sacramenti: Ego te absoluo.

Preterea, Leo Papa dicit, quod indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri. Loquitur autem de indulgentia Dei, que prestatur penitentibus. Ergo forma huius sacramenti debet esse per modum deprecationis.

Preterea, idem est absolueri a peccato, quod peccatum remittere. Sed solus Deus peccatum remittit, qui etiam solus interius hominem a peccato mundat: ut Aug. dicit super Ioan. Ergo videtur quod solus Deus a peccato absoluat. Non ergo debet sacerdos dicere, Ego te absoluo, sicut non dicit, Ego tibi peccata remitto.

Preterea, Sicut Dominus dedit potestatem discipulis absolueri a peccatis, ita etiam dedit eis potestatem curandi infirmitates & ut demonia eiecerent, & ut languores sanarent, ut habetur Matth. 10. & Luc. 9. Sed sanando infirmos, Apostoli non utebantur his verbis, Ego te sano, sed, Sanet te Dominus Iesus Christus: sicut Petrus dixit paralytico, ut habetur Act. 9. Ergo videtur quod sacerdotes habentes potestatem a Christo traditam, non debeant uti hac forma verborum, Ego te absoluo. Sed, absolutionem tribuat tibi Christus.

Preterea, Quidam hac forma vtentes sic eam exponunt, Ego te absoluo, id est, absolutum ostendo. Sed nec hoc etiam sacerdos facere potest, nisi ei diuinitus reueletur, unde legitur Matth. 16. Antequam Petro diceretur, Quodcumque solueris super terram, &c. dictum est ei, Beatus Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in celis est. Ergo videtur quod sacerdos, cui non est facta reuelatio, presumptuose dicat, Ego te absoluo, etiamsi exponatur, id est, absolutum ostendo.

Sed contra est, quod sicut Dominus dixit Discipulis, Matth. 16. Euntes docere omnes gentes, baptizantes eos: ita dixit Petro, Matth. 16. Quodcumque solueris super terram. Sed sacerdos auctoritate illorum verborum Christi fratris, dicit, Ego te baptizo. Ergo eadem auctoritate dicere debet in hoc sacramento, Ego te absoluo.

Respondeo dicendum, quod in qualibet re perfectio attribuitur forma. Dicitur est autem supra, quod hoc sacramentum perficitur per ea que sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet, quod ea que sunt ex parte penitentis, siue sint verba, siue facta, sunt quedam materia huius sacramenti: a vero que sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum forme. Cum autem sacramenta noue legis efficiant quod figurant (ut supra dictum est) oportet, quod forma sacramenti significet id, quod in sacramento agitur, proportionaliter materie sacramenti. Unde forma baptismi est, Ego te baptizo: & forma confirmationis est, Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, eo quod huiusmodi sacramenta perficiuntur in vsu materie. In sacramento autem Eucharistie, quod consistit in ipsa consecratione materie, exprimitur veritas consecrationis, cum dicitur, Hoc est corpus meum. Hoc autem sacramentum, sicut Penitentia, non consistit in consecratione alicuius materie, nec in vsu alicuius materie sanctificata, sed magis in remotione cuiusdam materie, scilicet peccati: prout peccata dicuntur esse materia penitentis, ut ex supra dictis patet.

Art. 1. huiusmodi q. ad 2. q. 60. ar. 2. q. 62. ar. 1. q. 5.

COMMENTARIVS.

Quoniam sacramenta noue legis ex materia & forma constant, ut in superioribus visum est, idcirco D. Thom. postquam in communi explicuit rationem huius sacramenti, in hoc & sequenti articulo declarat essentielles partes eius. Hic vero recte distinguit duplicem materiam, proximam, & remotam, docetque materiam proximam huius sacramenti, esse actus penitentis, quibus peccata detestantur, confitentur, ac puniunt: remotam vero esse ipsa peccata, principaliter quidem mortalia, consequenter vero, & quasi secundario venialia. Non declarat autem D. Tho. quomodo actus penitentis sint materia sacramenti: intelligendum vero est, in his actibus contineri essentialiter materiam huius sacramenti, non vero omnes pertinere ad essentialitatem eius, sed quosdam esse essentielles, nimirum confessionem, & contritionem aliquam: alios vero pertinere ad integritatem, vel perfectionem, nimirum satisfactionem, & perfectam contritionem. Quod vero D. Tho. ait: peccata esse materiam remotam, declaratur in solut. ad 3. intelligendum esse de peccatis actualibus, non de originali: nam de originali peccato, cum non consistat in actione humana, non est proprie penitentia. Addendum vero est, D. Tho. intelligendum esse de peccatis actualibus post baptismum commissis, nam hæc sola sunt materia confessionis sacramentalis, ut inferius ostendemus. Unde, sicut D. Th. superiori articulo dixit, penitentiam, que in Ecclesia fit, esse sacramentum, ita, cum in premissis ait, peccata esse materiam, intelligit de peccatis intra Ecclesiam commissis, quia de solis illis fit penitentia in Ecclesia, nam de illis tantum Ecclesia iudicat. Sunt autem hæc peccata, illa que a baptizatis committuntur, nam omnes qui baptismo carent extra Ecclesiam sunt, & similiter extra Ecclesiam peccant.

patet. Talis autem emotio significatur a sacerdote cum dicitur. Ego te absolvo. Nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud Prou. 5. Iniquitates sue captiui impium. Et funibus peccatorum suorum quisque constringitur. Et illud Psal. 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me. Vnde patet, quod haec est conuenientissima forma huius sacramenti. Ego te absolvo.

Ad primum ergo dicendum, quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit, Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Et tali forma Ecclesia ritur in sacramentali absolutione. Huiusmodi autem absolutiones in publico factae, non sunt sacramentales, sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Vnde in sacramentali absolutione, non sufficeret dicere, Misereatur tui omnipotens Deus, vel, Absolutionem, & remissionem tribuat tibi Deus, quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri: sed peti ut fiat. Praemititur tamen in sacramentali absolutione talis oratio, ne impediat effectus sacramenti ex parte ponentis: cuius actus materialiter quodammodo se habent in hoc sacramento, non autem in Baptismo, vel Confirmatione.

Ad secundum dicendum, quod verbum Leonis Pape in Epist. ad Theod. videlicet, Misericordia Dei tui lapsibus subuenit humanis, ut qui regenerationis donem violassent, proprio se iudicio condonantes ad remissionem criminum perueniret, sic diuina bonitatis praesidio ordinata, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeat obtineri) est intelligendum, quantum ad deprecationem, quae praemititur absolutioni, non autem remouet, quin sacerdotes absoluant.

Ad tertium dicendum, quod solus Deus per auctoritatem, & a peccato absoluit, & peccatum remittit. Sacerdotes tamen verumque faciunt per ministerium: in quantum, scilicet, verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute diuina, sicut etiam in aliis sacramentis. Nam virtus diuina est, quae interius operatur in omnibus sacramentalibus signis, sive sint res, sicut verba; sive ex supra dictis patet. Vnde, & Dominus expressit virtutem, nam Mat. 16. dixit Petro, Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Et Ioan. 20. dixit discipulis, quorum remisit peccata, remittuntur eis. Ideo tamen sacerdos potius dicit, Ego te absolvo, quam, ego tibi peccata remitto: quia hoc magis congruit verbis, quae Dominus dixit virtutem clauium ostendens, per quas sacerdotes absolunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absoluit, conuenienter apponitur aliquid, quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur, Ego te absolvo in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, vel, per virtutem passionis Christi, vel auctoritate Dei, sicut Diony. exponit 3. c. Caelestis hierar. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo, talis appositio relinquatur arbitrio sacerdotis.

Ad 4. dicendum, quod Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmorum. In quibus tamen non semper modo deprecationis verbum dicitur, sed quandoque, modo indicatio, & imperatio, sicut Act. 3. legitur, quod Petrus dixit claudio, Quod habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni, surge, & ambula.

Ad 5. dicendum, quod ista expositio, Ego te absolvo, id est, absolutum ostendo, quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta: sacramenta enim noua legis non solum significant, sed etiam faciunt quod significant. Vnde sicut sacerdos baptizans aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba, & facta, & non solum significat, sed etiam effectiue: ita etiam cum dicit, Ego te absolvo ostendit hominem absolutum: non solum significat, sed etiam effectiue. Nec tamen loquitur quasi de re incerta: quia sicut alia sacramenta noua legis habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi (licet possit impediri ex parte recipientis) ita etiam & in hoc sacramento. Vnde Aug. dicit in li. de Adul. coniug. Non est

A turpis, nec difficilis, post peccata, & purgata adulteria, & conciliatio coniugij, ubi per clauis regni calorum, non dubitatur se remissio peccatorum. Vnde nec Sacerdos indiget speciali reuelatione sibi facta, sed sufficit generalis reuelatio fidei, per quam remittuntur peccata. Vnde reuelatio fidei dicitur Petro facta fuisse. Effet autem perfectior expositio: Ego te absolvo, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.

COMMENTARIUS.

Responso D. Th. est, hanc esse formam essentialem huius sacramenti: quam primum colligit ex Christi verbis, Mat. 16. & ex potestate, quam dedit Ioan. 20. dicens, Quodcumque remisitis super terram, remittentur eis. Deinde in corpore articuli conuenienti ratione, & congruentia declarat, quomodo tota haec forma sit essentialis huic sacramento, quia nimirum est proportionata materiae eius, & tota est necessaria, & aptissima ad significandum effectum eius. In solutionibus autem argumentorum, praesertim in quatuor primis rationem reddit, cur haec forma per modum indicatiuum, aut imperatiuum, & non per modum deprecatium tradatur, & discrete docet, haec verba formae in deprecatia mutentur, in sufficientem esse formam, ut si sacerdos dicat, Remittat tibi Deus peccata, vel aliquid simile. Vnde etiam confecti videret ex sententia D. Th. hanc esse insufficientem formam, Absoluat Petrus, &c. Quod verum est, si in sensu deprecatiuo proferatur: au vero in sensu imperatiuo possit esse sufficientem formam, postea suo loco disputabitur. Imo significat D. Tho. in solutione ad quartum, verba per modum deprecationis solum proferri conuenienter extra actus sacramentales, qui non procedunt ex potestate ministeriali operantis: sed hoc aliqua limitatione indiget, propter Sacramentum Extremae vocationis, in quo certum est formam proferri per modum deprecatiuum. Sensus autem D. Th. est, per se ac regulariter loquendo, indicatiuum, vel imperatiuum modum esse magis accommodatum ad exprimendos actus procedentes a potestate ministeriali: ideoque formas sacramentorum communiter ita esse institutas: hoc tamen non impedit, quominus ob specialem causam aliqua forma instituta sit per modum deprecationis.

Quia autem fuerit haec causa in sacramento Extremae vocationis, dicequus infra cum de illo differemus. Atque hinc ulterius colligit D. Th. in sol. ad 3. praeter illa verba formae, nulla alia esse essentialia, quia illis solis verbis sufficienter explicantur actus & effectus huius sacramenti: neque ex verbis, aut institutione Christi plura colliguntur: Atque idcirco ait, licet possit sacerdos addere inuocationem Trinitatis, vel aliquod aliud verbum apponere, quo indicet, se non absoluerit ut principalem auctorem remissionis peccati, sed ut ministrum, nihilominus hoc non esse essentialia, quia non est a Christo praescriptum, neque fuit necessarium, cum res esset per se satis clara. Denique in solutione ad quintum declarat D. Th. sensum illius verbi formae, Absoluo, refertur eorum expositionem, qui ita interpretantur, absoluo, id est, absolutum ostendo: quam merito reiecit, quia sacerdos non solum ostendit, sed etiam facit absolutum: & ideo melior sensum esse ait, Te absoluo, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo: qui sensus etiam habet difficultatem, quia sacerdos non solum significat se impendere sacramentum, sed etiam effectum sacramenti. Verum tamen non fuit mens D. Tho. hoc excludere, sed utrumque comprehendere, ita tamen, ut intelligatur sacerdos id affirmare, quoad effectum, quantum est ex se, & ex virtute sacramenti, si suscipiens obicem non apponat, nam hoc ipsum est impendere absolutionis sacramentum, & consequenter remissionem, aut gratiam remissionis peccati, si eam poenitens non impedit, ut inferius in disputationibus latius dicemus.

Matth. 16.
Ioan. 20.

Quaest. 62. ar.
1. & 64. ar.
1. & 2.

Ca. 7. Eccl.
hinc non
multum
peccata si
nt, & in
Cal. hier. c. 3.

hinc 9.



Virum impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum.

4. contra Gen. c. 71. Et Opus. 22. c. 4.



Ad quantum sic proceditur. Videtur, quod impositio manuum sacerdotis requiratur ad hoc sacramentum. Dicitur enim Mar. vi. Super agros manus imponent; & bene habebunt. Aegri autem spiritualiter sunt peccatores, qui recipiunt bonam habitudinem per hoc sacramentum. Ergo in hoc sacramento est manus impositio faciend.

2. Praeterea. In sacramento poenitentiae recuperat homo Spiritum sanctum amissum: unde ex persona poenitentis dicitur in Psal. 50. Redde mihi letitiam salutis tuae, & Spiritu principali confirma me. Sed Spiritus sanctus datur per impositionem manuum: legitur enim Act. 8. quod Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum: & Matth. 19. dicitur, quod oblatis sunt Domino paruuli, ut eis manus imponeret. Ergo in hoc sacramento est faciend manus impositio.

3. Praeterea. Verba sacerdotis in hoc sacramento non sunt maioris efficaciae, quam in aliis sacramentis: Sed in aliis sacramentis non sufficiunt verba ministri, nisi aliquem actum exerceat: sicut in Baptismo simul cum hoc quod sacerdos dicit. Ego te baptizo, requiritur corporalis ablutio. Ergo etiam simul cum hoc, quod sacerdos dicit, Ego te absoluo, oportet quod aliquem actum exerceat circa poenitentem, imponendo ei manus.

Sed contra est, quod cum Dominus dixit Petro, Quodcumque solveris super terram, &c. nullam mentionem de manus impositione fecit: neque etiam cum omnibus Apostolis simul dixit, Quorum remisseris peccata, remittuntur eis. Non ergo ad hoc sacramentum requiritur impositio manuum.

Respondeo dicendum, quod impositio manuum in sacramento Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quadam similitudinem continuantur ministri, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis: in quo confertur plenitudo Spiritus sancti: & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in diuinis mysteriis. Unde & 2. ad Timot. 1. dicitur: Resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum. Sacramentum autem poenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sed ad remotionem peccatorum. Et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manus impositio, sicut etiam nec ad Baptismum: in quo tamen sit plenior remissio peccatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod illa manus impositio non est sacramentalis, sed ordinatur ad miracula perficienda: ut scilicet per contactum manus hominis sanctificati, etiam corporalis infirmitas tollatur. Sicut etiam legitur de Dimidio Mar. 6. quod infra & manibus impositis curauit: & Mar. 8. legitur, quod leprosum mundauit per contactum.

Ad 2. dicendum, quod non qualibet acceptio Spiritus sancti requirit manus impositionem: quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio. Sed acceptio Spiritus sancti cum plenitudine requirit manus impositionem: quod pertinet ad Confirmationem.

Ad 3. dicendum, quod in sacramentis, quae perficiuntur in usu materiae, minister habet aliquem actum corporalem exercere circa eum, qui suscipit sacramentum: sicut in Baptismo, & Confirmatione, & Extrema unctione. Sed hoc sacramentum non consistit in usu alicuius materiae exterioris appositae: sed loco materiae se habent ea, quae sunt ex parte poenitentis. Unde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum: ita etiam sola verba sacerdotis absoluens super poenitentem, perficiunt absolutiois sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competere Crucis signatio, quae adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio: in signum, quod per sanguinem Crucis Christi remittuntur peccata. Et tamen non est de necessitate huius sacramenti, sicut nec de necessitate Eucharistiae.

Non satis fuit D. Tho. ostendisse in articulo praecedenti, nulla alia verba sacerdotis, praeter illa, Ego te absoluo, esse de essentia huius sacramenti, sed viterius etiam in praesenti articulo ostendere voluit, nullam aliam actionem sacerdotis, praeter prolationem dictorum verborum, esse ad hoc sacramentum perficiendum necessariam. Et quia hoc maxime dubitari poterat de impositione manuum, vel quia in aliquibus sacramentis necessaria est, vel quia nonnulli sacerdotes in hoc sacramento tradendo illa videntur, ideo in corpore articuli in particulari de hac caeremonia id ostendit. In solut. autem ad 3. sermonem extendit ad crucis signum, seu benedictionem, ac denique ad quamcumque aliam actionem sacerdotis. Fundamentum autem D. Thae priorum est, quia neque ex Christi institutione, aut verbis, aliquid tale colligitur, neque etiam ex natura seu effectu, sine, aut materia huius sacramenti, ut satis diuincie ipse declarat, partim in corpore, partim in solutione ad 3. Non declarat autem D. Tho. esse illa caeremonia impositionis manuum non sit essentialis, an sit saltem necessaria ex praeepto, vel saltem sit magis congruum, illam adhibere: nam, licet Sotus in 4. d. 14. quaest. 1. art. 4. intelligat D. Tho. hoc loco non solum negare necessitatem essentiae, sed etiam praecipti, imo & congruentiam, & vtilitatem, tamen re vera D. Thom. solum excludit necessitatem sacramenti, reliqua vero praetermittit, quia facile ex illo principio definiri possunt, ut videbimus infra, agentes de caeremoniis huius sacramenti.

ARTICVLVS V.

Virum hoc sacramentum sit de necessitate salutis.



Ad quantum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non sit de necessitate salutis. Quia super illud Psal. Qui format in lacrymis, &c. dicit Gloss. Noli esse tristis, si ad sit tibi bona voluntas, unde melior pax. Sed tristitia est de ratione poenitentiae: secundum illud 2. Corint. 7. Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Ergo bona voluntas sine poenitentia sufficit ad salutem.

Sup q. 65. ar. 1. cor. & ar. 2. ad 4. & ar. 4. cor. & 4. dist. 14. q. 2. ar. 5. & in princ. expof. lit. & 4. con. c. 71.

2. Praeterea. Proverb. 10. dicitur. Vniuersa delicia operit charitas, & infra 15. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata. Sed hoc sacramentum non est, nisi ad purgandum peccata. Ergo habendo charitatem, & fidem, & misericordiam, potest quisque salutem consequi, etiam sine poenitentia sacramento.

Aug. in hoc loco, som. 82

3. Praeterea. Sacramenta Ecclesiae initium habent ab institutione Christi: sed sicut legitur Ioan. 8. Christus mulierem adulteram absoluit absque poenitentia. Ergo videtur quod poenitentia non sit de necessitate salutis.

Sed contra est, quod Dominus dicit Luc. 8. Si poenitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.

Respondeo dicendum, quod aliquid est necessarium ad salutem dupliciter: Vno modo absolute: alio modo ex suppositione. Absolute quidem necessarium est ad salutem illud, sine quo nullus salutem consequi potest, sicut gratia Christi, & sacramentum Baptismi, per quod aliquis in Christo renascitur. Ex suppositione autem est necessarium sacramentum poenitentiae. Quod quidem est necessarium non omnibus, sed peccato subiacentibus. Dicitur. n. 2. Paralip. vii. Et tu Deus infortium, non posuisti poenitentiam in istis, Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt. Peccatum. a. cum consummatum fuerit, generat mortem: ut dicitur Iacob. 1. & ideo necessarium est ad salutem peccatoris, quod peccatum remoueat ab eo. Quod quidem non potest fieri sine poenitentia sacramento in quo operatur virtus passionis Christi per absolutionem, sacer-

Extr. 7.
colligitur.
115.

sacerdotis, simul cum opere penitentis, qui cooperatur gratia ad destructionem peccati. Sicut enim dicit Aug. super Ioann. Qui creavit te sine re, non iustificabit te sine re. Unde patet, quod sacramentum penitentiae est necessarium ad salutem post peccatum: sicut medicatio corporis, postquam homo in morbum periculosum incidit.

Ad 1. ergo dicendum, quod Gloss. illa videtur esse intelligenda de eo, cui adest bona voluntas sine interpolatione, que fit per peccatum: talis enim non habet tristitia causam. Sed ex quo bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, quia quis dolet de peccato praterito: quod pertinet ad penitentiam.

Ad 2. dicendum, quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, scilicet, & misericordia non liberant hominem a peccato sine penitentia. Requiritur enim charitas, quod homo doleat de offensa in amicum commissa, & quod amico homini studeat satisfacere. Requiritur etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, que in sacramentis Ecclesie operatur, quis a iustificari a peccatis. Requiritur etiam ipsa misericordia ordinata, ut homo subueniat penitenti suis miseris, quam per peccatum incurrit: secundum illud Proverb. 14. Miseros facit populus peccatum. Unde Eccles. 30. dicitur, Misereere anima tue peccatis Deo.

q. 64. ar. 3.

Ad tertium dicendum, quod ad potestatem excellentem, quam solus Christus habuit (ut supra dictum est) pertinet, quod Christus effectum sacramenti penitentiae, qui est remissio peccatorum, contulerit mulieri adulteræ sine exterioris penitentiae Sacramento, licet non sine interiori penitentia, quam ipse in ea per gratiam est operatus.

COMMENTARIUS.

Con. Tri.

Respondet D. Th. hoc sacramentum esse necessarium non omnibus, sed peccatoribus. Quod intelligendum est de eis, qui post Baptismum in peccatum mortale inciderunt, iuxta doctrinam Con. Tri. sel. 1. c. 1. & 2. Nam, ut supra notauimus, nec peccata ante Baptismum commissa, sunt materia huius sacramenti, ut per illud tollenda sine, neque venialia peccata necessitatem inducunt huius sacramenti, cum vitam spirituales non auferant. Quamuis autem D. Tho. hanc sententiam ut certam doceat, nullam tamen eius probationem affert, nisi hanc solam, quod virtus passionis Christi operatur in hoc Sacramento per absolutionem sacerdotis, & opus penitentis ad destructionem peccati. Quæ ratio ad summum probat, hoc sacramentum esse vile, aut efficax ad salutem, vel remissionem peccati, non tamen probat, esse necessarium, quia ad hoc non satis est, ut virtus passionis Christi in hoc operetur Sacramento, sed necesse est, ut per solum illud talem effectum conferat. Nam si sint alia media sufficientia ad talem effectum, non erit hoc necessarium. Illa vero propositio exclusiua, neque à D. Tho. probata, neque assumpta est. Dicendum vero est, D. Tho. in eo sensu propositioem illam sumpsisse, scilicet sacramentum esse vnicum instrumentum à Christo institutum, ut per illud, vel in ordine ad illud virtus passionis eius ad hunc effectum præstet operetur. Ad hoc autem probandum rationem illam indicat D. Tho. quam superiori disp. sect. 1. nu. 3. explicatam reliquimus.

ARTICVLVS VI.

Virum Penitentia sit secunda tabula post naufragium.

4. dist. 2. q. 1.
ar. 3. ad 5.
q. 14. q. 1. ar.
2. q. 4. ad d.
26. q. 4. ar. 1.
q. 1. ad 1.
Gloss. Hier. in
alium locum
rom. 5.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod penitentia non sit secunda tabula post naufragium. Quia super illud Isai. 2. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt: dicit Gloss. Secunda tabula post naufragium, est peccata abscondere. Penitentia autem non abscondit peccata, sed magis ea resolat. Ergo penitentia non est secunda tabula. Præterea. Fundamentum in edificio non tenet secundum, sed primum locum. Penitentia autem in spirituali edificio est fundamentum, secundum illud Hebr. 6. Non rursus faci-

entes fundamentum penitentia ab operibus mortuis. Unde & præcedit ipsum Baptismum, secundum illud Actor. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Ergo penitentia non debet esse secunda tabula.

Præterea. Omnia sacramenta sunt quadam tabula, id est, remedia contra peccatum. Sed penitentia non tenet secundum locum inter sacramenta, sed magis quartum: ut ex supra dictis patet. Ergo penitentia non debet dici secunda tabula post naufragium.

Sed contra est, quod Hieronymus dicit, quod secunda tabula post naufragium est penitentia.

Respondet dicendum, quod id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens: sicut & substantia prior est accidente. Sacramenta autem quadam per se ordinantur ad salutem hominis, sicut Baptismus, qui est spiritualis generatio, & Confirmatio, que est spirituale augmentum: & Eucharistia, que est spirituale nutrimentum. Penitentia autem ordinatur ad salutem hominis, quasi per accidens, supposito quodam, scilicet ex suppositione peccati. Nisi enim homo peccaret actualiter, penitentia non indigeret: indigeret tamen Baptismo, & Confirmatione, & Eucharistia. Sicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur: indigeret autem homo per se ad vitam generatone, augmento, & nutrimento. Et ideo Penitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui conferitur, & conseruatur per sacramenta prædicta. Unde & metaphorice dicitur secunda tabula post naufragium. Nam primum remedium mare transeuntibus est, ut conferuentur in nauem integra: Secundum autem remedium est, post nauem fractam, ut quis tabula adhaereat. Ita etiam primum remedium in mari huius vite est, quod homo integritatem seruet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdidit, quod per penitentiam redeat.

Ad primum ergo dicendum, quod abscondere peccata contingit dupliciter. Vno modo, dum ipsa peccata sunt. Est autem peius peccare publice, quam occulte: tum quia peccator publicus videtur ex maiori contemptu peccare: tum etiam quia peccat cum scandalo aliorum. Et ideo quoddam remedium est in peccatis, quod aliquis in occulto peccet. Et secundum hoc dicit Gloss. quod secunda tabula post naufragium est peccata abscondere, non quod per hoc tollatur peccatum, sicut per penitentiam, sed quia per hoc peccatum fit minus.

Alio modo aliquis abscondit peccatum prius factum per negligentiam confessionis: & hoc contrariatur penitentia. Et sic abscondere peccatum, non est secunda tabula: sed magis contrarium tabula. Dicitur enim Prou. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigitur.

Ad secundum dicendum, quod Penitentia non potest dici fundamentum spiritualis edificii simpliciter, id est, in prima adificatione: sed est fundamentum in secunda reedificatione, que fit per destructionem peccati. Nam primo reedificandus ad Deum occurrit penitentia. A postolus tamen ibi loquitur de fundamento spiritualis doctrine. Penitentia autem, quæ Baptismum præcedit non est Penitentia sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod tria præcedentia sacramenta pertinent ad nauem integram, id est, ad statum integritatis: respectu cuius Penitentia dicitur secunda tabula.

Hic articulus non indiget alio commentario, præter illum, qui sumi potest ex dictis superiori disputatione, Sect. 1. num. 4.

ARTICVLVS VII.

Virum hoc sacramentum fuerit conuenienter in noua lege institutum.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non fuerit conuenienter institutum in noua lege. Ea enim, que sunt de iure naturali, institutione non indigent. Sed penitere de malis que quis gessit, est de iure naturali: non enim potest aliquis bonum diligere, quin de contrario doleat. Ergo penitentia non fuit conuenienter instituta in noua lege.

Hiero super illud Isai. 2. Peccatum suum quasi Sodoma 1. 5 q. 6. ar. 2. & 2.

Cia in argu.

D. 6. 57.

4. dist. 22. q. ar. 3.

2. Præ-

2. Præterea illud quod fuit in veteri lege, instituendum non fuit in noua: sed etiam in veteri lege fuit Penitentia: unde & Dominus conqueritur Hierem. 28. dicens. Nullus est qui agat penitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? Ergo penitentia non debuit institui in noua lege.

Art. preced.

3. Præterea Penitentia consequenter se habet ad Baptismum, cum sit secunda tabula, ut supra dictum est. Sed Penitentia videtur à Domino instituta ante Baptismum: nam in principio predicationis sue dixisse Dominus legitur Matth. 4. Penitentiam agite, appropinquabit n. regnum caelorum. Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

962 ar. 1. & 964 ar. 1.

4. Præterea Sacramentum noue legis institutionem habent à Christo: ex cuius virtute operantur, ut supra dictum est. Sed Christus non videtur instituisse hoc sacramentum, cum ipse non sit usus eo, sicut aliis sacramentis, que ipse instituit. Ergo hoc sacramentum non fuit conuenienter institutum in noua lege.

Ar. 3. huius qn.

Sed contra est, quod dicit Dominus Luc. vlt. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & predicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.

Respondendo dicendum, quod (sicut supra dictum est) in hoc sacramento, actus penitentis se habet sicut materia: id autem, quod est ex parte sacerdotis, qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale & completum sacramenti. Materia vero, etiam in aliis sacramentis, præexistit à natura, ut aqua, vel ab arte, ut panis: sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed forma sacramenti, & virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum. Sic ergo huius sacramenti materia præexistit à natura (ex naturali enim ratione homo mouetur ad penitentiam de malis, que fecit) sed quod hoc, vel illo modo homo penitentiam agat, est ex institutione diuina. Unde & Dominus in principio predicationis sue indicit hominibus ut non solum peniterent, sed etiam penitentiam agerent, significans determinatos modos actuum, qui requiruntur ad hoc sacramentum. Sed id quod pertinet ad officium ministrorum, determinauit Mat. 16. vbi dixit Petro: Tibi dabo clauis regni caelorum, &c. Efficaciam autem huius sacramenti, & originem virtutis eius manifestauit post resurrectionem, Luc. vl. vbi dixit, quod oportet predicari in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, præmissa de passione, & de resurrectione: ex virtute enim nominis Iesu Christi patientis, & resurrectionis, hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum. Et sic patet, conuenienter hoc sacramentum in noua lege institutum fuisse.

Ad 1. ergo dicendum, quod de iure naturali est, quod aliquis poeniteat de malis que fecit, quantum ad hoc, quod doleat se fecisse, & doloris remedium querat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Niniuitæ fecerunt, ut Ioan. 3. legitur. In quibus tamen aliquid fuit adiunctum fidei, quam Diuiceperant ex predicatione Dni, ut scilicet hoc agerent sub spe venie consequenda à Deo: secundum illud, quod ibi legitur, Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ sue, & non peribimus? Sed, sicut dicitur, que sunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis diuine (ut in secunda parte dictum est) ita etiam, & penitentia.

2. 2. ad 100. 99 ar. 1. & 95 ar. 2.

Ad 2. dicendum, quod ea, que sunt iuris naturalis, diuersimode determinationem accipiunt in veteri & in noua lege, secundum quod conuenit imperfectioni veteris legis, & perfectioni noua. Unde, & penitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde, quam in exterioribus signis: secundum illud Iob. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quantum autem ad remedium doloris querendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad nimis in generali: Unde Dominus Leuit. 5. dicit, Anima, que peccauerit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus, sacerdoti, iuxta mensuram, estimationemque peccati: qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei: in hoc enim ipso,

quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur: & secundum hoc dicitur Proverb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Nondum autem erat instituta potestas clauium, que à passione Christi derivatur: & per consequens nondum erat institutum, quod aliquis doleat de peccato, cum proposito subiiciendi se per confessionem, & satisfactionem clauium Ecclesie, sub spe consequenda venie, virtute passionis Christi.

Ad 3. dicendum, quod si quis recte consideret ea, que Dominus dixit de necessitate Baptismi Ioan. 3. tempore præcesserit ea que dixit Mat. 4. de necessitate penitentia: nam id, quod dixit Nicodemus de Baptismo, fuit ante incarcerationem Ioannis, de quo postea subditur, quod baptizabat: illud vero, quod de penitentia dixit Matth. 4. fuit post incarcerationem Ioannis. Si tamen prius ad penitentiam induxisset, quam ad Baptismum: hoc ideo esset, quia etiam ante Baptismum requiritur quadam penitentia: sicut & Petrus dixit Act. 2. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.

Ad quartum dicendum, quod Christus non est usus baptismo, quem ipse instituit, sed est baptizatus baptismo Ioannis, ut supra dictum est. Sed nec etiam actus usus est suo ministerio: quia ipse baptizabat communiter, sed discipuli eius: ut dicitur Ioan. 4. Quamuis credendum sit, quod discipulos suos baptizauerit: ut Aug. dicit ad Seleucianum: Usus autem huius sacramenti ab eo instituti nullo modo sibi competeat. Nec quantum ad hoc, quod ipse poeniteret, in quo peccatum non fuit, neg. quantum ad hoc, quod hoc sacramentum aliis præberet: quia ad ostendendam misericordiam & virtutem suam, effectum huius sacramenti sine sacramento præbebat, ut supra dictum est. Sacramentum autem Eucharistie, & ipse sumpsit, & aliis dedit, tum ad commendandam excellentiam huius sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale sue passionis, in qua Christus est sacerdos & hostia.

934 ar. 1. & 2. In epist. 108. tom. 2. Habebat etiam li. 3. de Anima, & eius origine, c. 9. 10. 7. Ar. 5. huius q. ad 3.

COMMENTARIUS.

Multiplex esse potest sensus questionis propositæ in hoc articulo. Inquiri n. potest congruentia institutionis, primum quantum ad res ipsas sensibiles, que designatæ sunt, ut ex eis hoc sacramentum constet: & hic sensus, non est intentus à D. Tho. quia hoc nihil est aliud quam querere rationem & congruentiam, ob quam talis materia, & talis forma ad hoc sacramentum componendum designatæ sunt, quod in articulis præcedentibus iam est traditum.

Primus questio sensus.

Secundo inquiri potest congruentia institutionis quantum ad tempus, id est dupliciter. Primo comparatione præteriti temporis legis veteris, aut nature, id est an congrue fuerit hoc sacramentum institutum tempore legis gratiæ, & non antea: & quantum ad D. Tho. hunc sensum directe non intendat, illum tamen attingit in solutione ad primum, & secundum, in quibus aliqua dicit notata digna. Primum est, penitentiam esse de iure nature, non quidem quantum ad rationem sacramenti, quod manifestum est, sed quantum ad tria: primum ut is, qui peccauit, doleat se peccasse: deinde, ut aliquod remedium doloris querat, denique ut aliqua signa doloris ostendat. Et videtur D. Tho. loqui de ratione naturali nuda, & solo lumine nature, vtenam, nam adhibens exemplum de Niniuitis subdit, præter illa tria aliquid aliud ab eis fuisse adiunctum ex fide, scilicet, ut ea agerent spe venie consequendæ à Deo. Illa tria priora ita esse de iure nature, ut sint ex pura ratione naturali: quod tamen hic Caiet. difficile creditur visum est, ut in fine præced. disput. indicauit. Sed ex his dictis declaratur facile. Dicitur n. dolor de peccato commisso, esse conformis naturali rationi. Primum, quia naturalis ratio dicit, dolorē de peccato commisso, & possibilem esse, & ex se honestum ac rectum, & vtilem etiā ad moralem vitam: quia cum peccatum sit quoddam

Secundus sensus.

Penitentia quibus modis sit de iure nature.

ma.

malum ipsius naturæ, & tale cognoscatur, ac iudicetur per rationē naturā, & natura possit detestari & dolere de cæteris malis, & in cōmodis suis, quid mirū est, q̄ possit detestari malum morale, & de illo dolere, si commissum fuit? Et eadem ratione potest de illo dolere, vel ex eo solū, q̄ tale malū est, q̄ est honestum ac rectum, cum tale motiuū consentaneum rationi sit. Nam eisdē rationis est, amare honestū bonū, quia tale est, & odire, aut detestari oppositum malum, etiam quia tale est. Vnde etiā fit, talem dolorem merito existimari posse vtilem ad morales actiones, quia homo statim vitare eupit ea, quæ dolorem ingerunt, ac tristitiam, & ideo sicut est vtile peccata vitare, etiā de peccatis commissis dolere, & verumque est naturali ratione conspicuum.

Vt prius intelligi potest, etiā esse de iure naturæ hunc dolorem, quantum ad obligacionē habendū illum: ita vti naturalis ratio per se sola dicere potest, esse præceptū dolēdi de peccatis commissis: & hoc D. Thom. non asseruit. Et quātū ad illud, merito Caiet. ait esse difficile creditū. Vel quia sola ratione naturali nō satis cōstat, actionē hominis peccaminosam, esse diuinam offensam. Vel certe, quia, licet hoc cognoscatur, nullū apparet naturale principū, quo cōstet ad illā offensam tollendā, vel ad satisfaciendū pro illa, necessariū esse huiusmodi dolorem: vnde colligi possit naturæ præceptū habendū illū. Igitur quoad hanc partē potius videtur esse penitentia de naturali iure intrinseco, & cōnaturali ipsi gratiæ ac fidei, quā ex puro iure seu ratione naturali. Quāquā seruata proportione, possit, pbabiliter dici, etiā præceptū naturalis doloris de peccato esse naturale, sicut est naturale præceptū amoris Dei naturalis, quāuis difficile & a paucis cognoscatur solo naturali discursu, de quo plura inferius in disputatio. dicemus.

Quod vero D. Thom. addit de remedio talis doloris, scilicet de iure naturæ sit illud querere, obscurius est. Duobus autē modis potest intelligi. Primo, quod solū sit naturale, querere remediū ipsius doloris, id est, modū aliquē leniendi huiusmodi dolorē, & vitandi similē dolorē in futurum: & sic res est facilis, quia valde naturalis est homini inclinatio ad querēdū huiusmodi remediū in omni dolore, & tristitia, non solū exteriori, sed etiā, & maxime in interiori: hoc autē remediū in presenti maxime cōnaturale esse videtur propositū aliquod, & spes fugiēdi causas similis doloris, & spes etiā vitandi damna vel incōmoda, quæ ex præcedenti peccato oriri possunt. Igitur quantum ad hæc omnia, res est facilis. Nec D. Thom. amplius dixit, nisi de iure naturæ esse doloris remediū querere per aliquē modū. Quod si hoc extēdamus, & vterius intelligamus de remedio ipsius peccati, difficile erit ad explicandū, quomodo sola ratio naturalis dicet peccatū commissū, vt sic, indigere remedio, cum iam transactū sit, nec possit ratio naturalis cognoscere, q̄ aliquo modo maneat, & difficiliter assequi possit naturalis ratio, quale futurū esset illud remediū, etiā si necessariū esse existimaret.

Quocirca ita in hoc sentiendū est, sicut vnusquisq̄ senserit de cognitione peccati ex vi luminis naturalis, præsertim quantum ad diuinā offensioē. Nam in re ipsa nō est dubiū, quin peccatū, præsertim graue, seu mortale, etiā sistendo in mera ratione naturali, sit offensio Dei, vt est finis naturalis à quo auertit tale peccatū. Vnde etiā in re ipsa cōstat, necessariū esse aliquod remediū homini sic peccatū, vt effugiat diuinā offensioē, & reliqua mala, quæ illā sequuntur. Qui ergo cognouerit naturalis lumine hanc rationē diuinæ offensiois in peccato suo, etiā naturaliter iudicabit, necessariū sibi esse aliquod remediū sui peccati: & hoc sensu dicitur hoc esse de iure naturæ tametsi tale ius, & fūdamētū eius à paucis possit naturaliter cognosci. Vnde qui ignorauerit in peccato hanc rationem diuinæ offensiois, nihil etiā cogitare poterit de remedio peccati commissi, quantum ad ra-

tionem culpæ, sed solum quantum ad alia damna, seu pericula relictā ex tali peccato, quæ facile possunt cognosci: pertinent nō ad humana incōmoda: vel tēporalia damna, vel ad occasioē, vel facilitatē committendi similia peccata. Vnde respectu horū nocuentorum facile etiā erit cognoscere quæ remedia proportionata sint: respectu vero diuinæ offensiois in eo qui naturaliter illam cognosceret, difficilimum esset assequi vel cognoscere mediū proportionatū ad illā offensioē tollendā, aut veniā obtinendā, sed ad summum liceret ex rebus humanis, & moralibus coniecturam sumere, petendo veniam, & dolendo de offensa facta, posse illius veniā obrineri.

Atq̄ huc etiam spectare videtur, q̄ vterius addit D. Thom. etiā esse de iure naturæ aliqua signa doloris offendere. Quod etiam Caiet. visum est creditū difficile, quia si peccatū non fuit scandalosum, aut manifestū aliis hominib. nulla apparet sufficiens ratio, ob quam talia signa doloris exhibere necesse sit. Quod mihi etiā ita esse videtur, si intelligantur hæc signa ita esse de iure naturæ, vt sint etiā iure naturæ præcepta. D. Thom. aut hoc nō dixit: potestq̄ satis intelligi, hæc dici de iure naturæ, quia sunt cōsentanea rationi naturali, & ita cōiuncta cū animi dolore, & interna humiliatione & pœnitentia veniē, vt vix possint ab illa separari. His igitur modis satis explicatur primum D. Thom. dictum, nimirum, penitentiam de peccato in communi sumptam, & generaliter loquendo, esse de iure naturæ.

Addit vero secūdo loco D. Thom. in eadē solutione ad primū, ex vi iuris naturalis nō fuisse determinatū modū huius penitentia, sed eū accepisse ex institutione alicuius legis diuinæ, scilicet veteris, aut nouæ. Sed hoc intelligendū est de penitentiā exteriori, seu de signis penitentia: nam hæc non sunt determinata, ex natura rei, vt p̄ se cōstat, & ex dictis superioribus de Sacrificiis, & Sacramētis legis naturæ. At vero penitentia interior etiā in lege naturæ habuit determinatiōē aliquā. Et quidē si loquamur de lege naturæ, vt nūc de facto includebat fidē, & gratiā, & præcepta eis naturalia, certū est, in illa lege interiorē penitentia determinatā fuisse ad verā animi cōtritiōē, vt in disputationib. latius dicemus. Si vero loquamur de lege pure naturali, fingendo hominē in puris naturalib., sic necessaria etiā esset aliqua determinatio, vt homo posset aliquod peccato remediū adhibere: quæ determinatio (quantū cōiectare possumus) esset naturalis cōtritiō, qualis per naturā haberi posset, tū quia nullus apparet actus magis proportionatus, tū etiā quia nō possumus melius de illo statu coniecturā facere, quā per proportioē ad statū gratiæ. Est autē hæc differentia inter penitentiam interiorē, & exteriorē, quia prior est per se, & intrinsecē requisita ad tollendā offensioē, & veniā obtinendā: exterior vero solū requiritur vt signū interioris, vel ob aliquā satisfactioē pro peccata debita culpæ: & ideo in interiori penitentiā semp fuit necessaria aliqua determinatio, nō vero in exteriori.

Illa vero determinatio penitentia interioris, quæ esset in statu legis naturæ, diceretur esse aliquo modo de iure naturæ, nō quia non penderet ex aliquo arbitrio, Dei, & acceptatione diuinā: nā reuera penderet, cum posset Deus maiorem vel minorem, aut plures vel pauciores actus exigere, vel acceptare in remediū culpæ: sed quia talis penitentia interior, scilicet contritiō, ex natura rei est maxime, proportionata ad hunc finē, & ideo creditur Deus ex prouidentia cōnaturali, aut gratiæ, aut naturæ (seruata proportione) illa, p̄ eo statu determinare, & acceptare.

Tertio addit D. Thom. in sol. ad 2. in leg. vet. habuisse penitentia ex institutione diuinā aliquā determinatiōē, nō tū perfectā, neq̄ sacramentalē. Hoc declarat, quia quātū ad ipsū dolorē penitentia definitur lex vetus, vt magis esset in signis externis iuxta illud loel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Vg-

Modus
nitentia
de fuerit de
finitur

runramen

rum tamen hæc determinatio non fuit propria legis veteris, imò nõ perinet ad legem positivam divinam: sed ad naturalem: nam, vt dicebam, penitentia interior est per se, & propter se necessaria, exterior vero secundario & consequenter, & ideo in lege naturæ fuit hoc etiam necessarium, quamvis in lege veteri fuerit etiam scriptum, & expresse traditum. Quantum ergo ad penitentiam interiorem nulla videtur fuisse differentia, nisi fortasse in ordine ad exteriorem, vt iam declarabo. Quoad exteriorem ergo penitentiam, ait D. Tho. habuisse hanc determinationem in lege veteri, quod in ea fuerunt determinata certa sacrificia offerenda pro peccato, quæ erant quædam virtualis confessio peccati coram sacerdote, saltem in generali, nam qui offert sacrificium pro peccato, quodammodo ipsum peccatum confitetur. Vnde fit, vt ad veram penitentiam interiorem eo tempore necessariam, oporteret in ea includi propositum confitendi illo modo suum peccatum coram sacerdote, seu offerendi sacrificium pro peccato in lege prescriptum, quod non habebat locum in lege naturæ. Hæc vero determinatio legis veteris dicitur imperfecta, tum quia non includebat distinctam peccatorum confessionem, tum etiam quia illud opus externum non continebat virtutem meritorum, & passionis Christi, quæ possit peccatum delere.

8
Sacramentum penitentia legis gratia proprium.

Atque hinc ultimo tacite concludit D. Tho. & respondet ad secundum sensum questionis propositæ, convenienter fuisse hoc sacramentum institutum in lege gratiæ, & non antea, tum quia lex vetus fuit imperfecta, lex autem gratiæ est perfecta: & ideo penitentia in hæc lege instituta debuit habere perfectam determinationem: tum maxime quia ante adventum Christi non debuit potestas clauium cõcedi hominibus, qui nondum erant Christi merita exhibita, in quorum virtute illa potestas operatur: in lege autem noua, congruum fuit dari illam potestatem propter excellentiam meritorum Christi, & perfectionem status gratiæ: sacramentum autem hoc respicit potestatem clauium, & in ea fundatur, tanquam actus eius: ideoque institutio huius sacramenti merito in hoc tempus reseruatæ est.

9
Tertius sensus quartus.

Tertius sensus, questionis propositæ in hoc articulo est, An institutio huius sacramenti fuerit conuenienti tempore facta per comparationem ad ætates seu annos vite ipsius Christi institutoris eius, id est, an congruum fuerit, hoc sacramentum institui ante mortem Christi, vel post resurrectionem eius. Et hunc sensum videtur intendere D. Thom. in articulo, & in genere respondet, congruum fuisse institutionem. Describat autem eius congruentiam in hunc modum. Nam quia materia huius sacramenti in communi sumpta, est aliquo modo à natura, quatenus ipsa ratio dicitur, dolendum esse de malis commissis, vt declaratum iam est, ideo Christus à principio prædicatiõis sue cepit penitentiam indicare, Matth. 4. dicens, *Penitentiam agite*. In quibus verbis ponderat D. Thom. cepisse Christum indicare futuram determinationem actuum penitentia ad hoc sacramentum necessariæ, quia non solum penitentiam, sed actionem penitentia prædicare cepit. Nescio vero an in verbis illis, *Penitentiam agite*, aliquod huiusmodi mysterium fundari possit satis, nam perinde fuit dicere, *Penitentiam agite*, quod *penitemini*, quo verbo vsus est Marcus c. 1. eandem prædicationem referens, cum tamen græce in vitroque loco sit idem verbum, *metaniteite*. Ad idem vero Marcus, *Penitemini, & credite Evangelio*, quo post scripti verbo indicat, etiam penitentiam nobis esse agendam, quæ per Euangelij prædicationem proposita fuerit.

Matth.

10

Rursus, quia forma huius sacramenti, & efficacia eius futura erat ex voluntate & meritis ipsius Christi, ideo inquit D. Thom. ante mortem indicasse

Christum illam formam, promittendo potestatem clauium Matth. 16. post mortem vero & resurrectionem eius efficaciam manifestasse dicens, Luc. ultimo, oportere in nomine suo prædicari penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, quia efficacia huius sacramenti ex morte Christi manauit: & ideo potestas clauium ad conficiendum, illud vsque ad resurrectionem eius dari non debuit. D. Thom. autem non videtur in toto articulo expresse declarare, an hoc sacramentum institutum fuerit ante, vel post passionem, & (quod maxime mirandum est) non afferri potissimum testimonium de institutione huius sacramenti, scilicet Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Verum tamen satis indicauit D. Thom. Christum Dominum ante mortem suam solum veluti adumbrasse, & prædixisse, seu promisisse institutionem huius sacramenti, post resurrectionem vero dedisse illi efficaciam, & præceptum eius tradidisse, quod fuit proprie illud instituire. Et idem significauerat supra ar. 3. ad 3. vbi adduxit verba Ioannis, quæ hic prætermitto, indicans, eis dedisse Christum potestatem sacerdotibus, & consequenter instituisse vt eorum verba essent efficacia ad remittenda peccata. Cuius rei maiore explicationem forte seruabat in questione inferius tractandam de potestate clauium, vbi nos latius rem hæc tractaturi sumus.

Luc.

Sacramentum penitentia quædo institutum. Ioan.

In tertio, & quarto augmento attingit D. Thom. duas quaestiones notatu dignas. Prior est, an Christus prius prædicauerit, aut instituerit penitentiam, quam Baptismum, & responderet duo in solutione ad tertium. Primum est, Christum prius prædicasse, aut sermonem fecisse de Baptismo, quam de Penitentia, nam Ioan. 3. dixit, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Mat. autem 4. dixit *Penitentiam agite, &c.* Id autem quod Ioannes narrat, priori tempore actum est, nã Christus protulit illa verba de Baptismo ante incarcerationem Ioannis, vt ex Ioan. 3. constat: alia autem verba de Penitentia dixit post traditum Ioannem in carcerem, vt expresse dicitur Marc. 2. Secundo dicit D. Thom. quod licet Christus prædicasset penitentiam ante Baptismum, nihil referret, quia etiam ad ipsum Baptismum recte recipiendum est aliqua penitentia necessaria: in quo clare sentit verba illa, *Penitentiam agite*, proprie non intelligi de sola penitentia sacramentali, sed absolute de penitentia vnicuique statui, & conditioni accommodata.

12

Ioan. Marc.

Marc.

Altera quaestio à D. Thom. tacta est, cur Christus hoc sacramentum penitentia nec suscepit, nec per seipsum dedit, sicut dedit sacramentum Baptismi, suscepit autem, & dedit sacramentum Eucharistiæ. Et in summa respondet, Christum non suscepisse hoc sacramentum, quia illo non indiguit, nec erat capax eius, cum peccatum non habuerit. Et eadem ratione non suscepit suum Baptismum, neq; aliquod aliud sacramentum ab ipso institutum præter Eucharistiã, quam suscepit, non propter indigentiam, sed propter excellentiam illius sacramenti, & singularem significationem intimam vniõis, quæ per illud fit. Quamquam autem de susceptione illius sacramenti nonnulli dubitent: sententia vero, quam D. Tho. supponit, verior est, vt superiori tomo tractauit late. Nec etiam dedit Christus Dominus per seipsum hoc sacramentum (ait D. Thom.) quia decuit, vt potestatem excellentiæ, quam habebat ad remittenda peccata, ostenderet, id præstando absq; ministerio talis sacramenti. Adde etiam neq; alia sacramenta Christum Dominum per seipsum contulisse, præter Eucharistiã, propter excellentiam eius, & Baptismum non communit, sed quoad nonnullas singulares personas propter speciales causas, vt late in superiori tomo tractauimus. Sacramenta item Confirmationis, & Ordinis proprie nõ contulit, licet effectus eorum in alicui modo præstiterit: de cæteris vero res est per se manifesta.

12

981 ar. 1. Dist. 75. Sect. 1.

Dist. 19. Sect. 1.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Utrum Penitentia debeat durare vsque ad finem vite.

Infr. art. 9. ad l. 4. d. 17. diff. 4. q. 1. art. 4. q. 1. c. 2.



Doctauum sic proceditur. Videtur quod Penitentia non debeat durare vsque ad finem vite. Penitentia enim ordinatur ad deletionem peccati. Sed penitens statim consequitur remissionem peccatorum: secundum illud Ezech.

18. Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est, vita uiuet, & non morietur. Ergo non oportet ulterius penitentiam protrahi.

Præterea. Penitentiam agere, pertinet ad statum incipientium. Sed homo de hoc statu debet procedere ad statum proficientium, & ulterius ad statum perfectorum. Ergo non debet homo penitentiam agere vsque ad finem vite.

Præterea. Sicut in aliis sacramentis homo habet seruare statum Ecclesie, ita & in hoc sacramento. Sed secundum canones determinata sunt tempora penitendi, ut scilicet ille qui hoc, vel illud peccatum commiserit, tot annis peniteat. Ergo videtur quod non sit penitentia extendenda vsque ad finem vite.

In lib. de v. r. & falsis p. c. 13. circa me. d. 10. 4.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de Pen. Quid restat nobis, nisi dolere in via? ubi enim dolor finitur, desinit Penitentia. Si vero penitentia finitur, quid derelinquitur de venia?

Respondeo dicendum, quod duplex est penitentia, scilicet interior, & exterior. Interior quidem penitentia est, qua quis dolet de peccato commisso. Et talis penitentia debet durare vsque ad finem vite. Semper enim debet homini displicere quod peccauit: si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum venie perderet. Displicentia autem dolorem causat in eo, qui est susceptus doloris: qualis est homo in hac vita: post hanc vitam autem sancti non sunt suscepturi doloris. Unde displicebunt eis peccata præterita sine omnivisione: secundum illud Isa. 65. Oblivioni tradita sunt angustia priores.

Penitentia vero exterior est, qua quis exteriora signa doloris ostendit, & verbo tenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi, & iuxta eius arbitrium satisfacit. Et talis penitentia non oportet quod duret vsque ad finem vite, sed vsque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati.

Ad 1. ergo dicendum, quod vera penitentia non solum remouet peccata præterita, sed etiam præseruat hominem a peccatis futuris. Quamuis igitur homo in primo instanti vera penitentia remissionem consequatur præteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseverare penitentiam, ne iterum incidat in peccatum.

Ad 2. dicendum, quod agere penitentiam interiori simul & exteriori pertinet ad statum incipientium, qui scilicet de nouo redeunt a peccato. Sed penitentia interior habet locum etiam in proficientibus & perfectis, secundum illud Psal. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Unde & ipse Paul. dicebat 1. Cor. 35. Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.

Ad 3. dicendum, quod illa tempora præfiguntur penitentibus, quantum ad actionem exterioris penitentia.

COMMENTARIVS.

Penitentia interior quomodo semper durare debet.

Quæstio huius articuli non est propria sacramenti Penitentia, sed generalis de qualibet penitentia, quæ in qualibet lege aut statu locum habuit. Distinguit autem D. Tho. inter penitentiam interiori & exteriori. De interiori affirmat durare debere vsque ad finem vite, etiam in viris perfectis, ut addit in solut. ad 2. de exteriori vero negat. Sed circa priorem partem aduertendum est, duobus modis posse intelligi, interiori penitentiam durare

Fr. Suarez tom. 4.

A vsq; ad finem vite, primo moraliter tantum, scilicet quia non retractatur, nec peccatum quod semel displicuit, iterum placet: & hoc sensu manifestum est, necessarium esse, ut penitentia duret vsque ad finem vite, & hoc solum probat ratio D. Tho. in articulo, scilicet, Semper debet homini displicere quod peccauit, si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret. Hæc enim ratio solum probat, perseverandam semper esse in interiori penitentia semel concepta, virtualiter, & quasi negatiue, id est, nunquam retractando illam per contrarium actum. Alio vero modo potest penitentia semper durare vsque ad finem vite positive & realiter: quod cum humano modo non possit fieri per durationem eiusdem actus, ut per se notum est, intelligendum erit per repetitionem, vel frequentiam similium actuum displicentia de peccatis. Et de hoc genere durationis D. Tho. nihil dicere videtur in corpore articuli. De illo tamen verum est quod in solut. ad 2. dicit, interiori penitentiam pertinere etiam ad statum perfectorum. Nam si homo iterum atq; iterum incidit in peccatum, tunc necessaria illi est iteratio penitentia. Si vero a peccando cessat, tunc non est quidem simpliciter necessaria hæc duratio Penitentia circa eadem peccata commissa, si perfecta Penitentia interior semel habita est: quia illa sufficiens fuit ad delendam culpam: est tamen valde utilis propter rationes præcedente disputatione tactas, quas hic attigit D. Tho. in sol. ad 1.

Sed tunc difficile est ad explicandum, quod D. Tho. dicit de Penitentia exteriori: negat enim durandum esse in illa vsque ad finem vite; & in hoc differentiam constituit inter Penitentiam interiori & exteriori: cum tamen nulla esse videatur. Quia, si peccata iterentur (de mortalibus loquimur) toties penitentia exterior iteranda est, maxime in lege gratia, ut D. Tho. loquitur. Si vero peccata non iterentur, & respectu eorundem peccatorum loquamur, sicut non est necessarium iterare exteriori penitentiam, ita etiam neque interiori, ut dixi. Et è conuerso sicut est vtile, iterare interiori penitentiam, etiam ultra mensuram delicti, vel etiam si credatur plene remissum, ita etiam est vtile iterare penitentiam exteriori, præsertim quoad corporis afflictiones, imo etiam quoad confessionem potest esse vtile, licet nulla alia noua materia occurrat. Et auget difficultatem, quod D. Tho. in sol. ad 2. a. gens de statu incipientium, proficientium, & perfectorum, in primo dicit habere locum penitentiam interiori & exteriori: in secundo vero, & in tertio interiori: quasi vero non sit etiam utilis, & moraliter necessaria viris etiam perfectis exterior penitentia.

Respondeo primo, D. Tho. potissimum loqui de Penitentia exteriori sacramentali, & per confessionem. Et de hac, moraliter ac regulariter loquendo, verum est, neque esse necessarium, neque vtile in ea durare vsque ad finem vite, nisi quatenus peccata saltem leuia, vsque ad finem vite iterantur, vel quatenus præteritorum peccatorum confessio non satis perfecta existimatur, quod in interiori penitentia secus est, ut dixi. Et simili modo huiusmodi penitentia exterior per se non habet locum in statu proficientium, & perfectorum, nimirum circa peccata præterita vite: nam de ratione illorum statuum est, ut illa peccata sint perfecte purgata: secus vero est de peccatis, quæ in illis statibus committuntur, ut per se constat. At vero, si loquamur absolute de penitentia exteriori: parua quidem est differentia inter illam, & interiori, ut ratio tacta declarat. Nihilominus tamen est nonnulla, nam interior penitentia, supposita eius materia, est per sese honesta, & pertinens ad diuinum cultum, & quantum est ex se, nullam requirit mensuram, nisi per accidens aliquid aliud impediatur, aut corpori nocumentum afferat. At vero exterior corporis afflictio, quam nomine penitentia exterioris intelligimus, si formaliter sumatur, vix est penitentia prioris de-

Duratio exteriori Penitentia, quantum.

ris de-

ris delicti commissi, solum esse debet iuxta mensuram delicti. Quod si quis velit illam mensuram excedere, ut id honeste faciat, necesse est, ut ex alio fine utilitatem, & honestatem quaerat in illo opere, nimirum quod sit medicina praeservans à peccatis futuris, vel quod pro alienis peccatis satisfactoria esse possit, vel quod animum prouocet ad humilitatem, deuotionem, charitatem, aut aliquid simile. Et ideo licet in statu perfectorum, & multo magis proficiorum, utraque poenitentia sit utilis, & moraliter necessaria, tamen interior per se, & propter se. Accedit etiam, quod, quia exterior ex se magis nocet corpori, maiorem etiam mensuram requirat: & ideo quando iam cessat necessitas eius, vel in ratione satisfactoria, vel in ratione medicinae praeservantis, censetur minus pertinere ad talem hominis statum, nunquam tamen omnino excludenda est, sed quando oportuerit, iuxta vniuersi cuiusque conditionem, & exigentiam adhibenda. Neq; D. Tho. hoc loco aliud intendit. Et haec sufficiunt etiam pro sequenti articulo, quifere eandem doctrinam continet.

ARTICVLVS IX.

Vtrum Poenitentia possit esse continua:

4. dist. 1. q. 1. ar. 4. q. 1.



AD nomum sic proceditur. Videtur quod Poenitentia non possit esse continua. Dicitur enim Hier. 31. Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis. Sed hoc esse non posset, si Poenitentia continuaretur, quae consistit in ploratu, & lacrymis. Ergo Poenitentia non potest continuari.

Præterea. De quolibet bono opere debet homo gaudere, secundum illud Psal. Seruite Domino in letitia. Sed agere poenitentiam est bonum opus: ergo de hoc ipso debet homo gaudere. Sed non potest homo simul gaudere, & tristari: vnde patet per Philosoph. in 9. Eth. Ergo non potest esse quod poenitens continue tristetur de peccatis praeteritis, quod pertinet ad rationem Poenitentiae. Ergo Poenitentia non potest esse continua.

Præterea. 2. ad Cor. 2. Apostolus dicit, Consolamini scilicet poenitentem, ne forte abundantiori tristitia absorbeat, quae huiusmodi est. Sed consolatio depellit tristitiam, quae pertinet ad rationem Poenitentiae. Ergo Poenitentia non debet esse continua.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. de Poeniten. Dolor in poenitentia continue custodiatur.

Respondeo dicendum, quod poenitere dicitur dupliciter secundum actum, & secundum habitum. Actum quidem impossibile est quod homo continue poeniteat: quia necesse est, quod actus poenitentis siue interior, siue exterior, interpelletur ad minus foris, & alius, quae ad necessitatem corporis pertinent. Alio modo dicitur poenitere secundum habitum. Et sic oportet quod homo poeniteat: & quantum ad hoc, quod continue homo nunquam aliquid contrarium Poenitentiae faciat, per quod habitualis dispositio poenitentis tollatur: & quantum ad hoc, quod debet homo in proposito gerere, quod semper sibi praeterita peccata displiceant.

Ad 1. ergo dicendum, quod ploratus, & lacrymae ad actum exterioris poenitentiae pertinent, qui non solum non debet esse continuus, sed nec etiam oportet quod duret vsque ad finem vite, ut dictum est. Vnde & signanter ibi subditur, quia est merces operi tuo. Est autem merces operis poenitentis plena remissio peccati, & quantum ad culpam, & quantum ad poenitentiam post eius consecutionem non est necesse quod homo ulterius exteriorem poenitentiam agat. Per hoc tamen non excluditur continuitas poenitentiae, qualis dicta est.

Ad 2. dicendum, quod de dolore, & gaudio dupliciter loqui possumus. Vno modo, secundum quod sunt passionis appetitus sensitiui. Et sic nullo modo possunt esse simul: eo quod sunt omnino contraria, vel ex parte obiecti (puta cum sunt de eodem) vel saltem ex parte motus cordis: nam gaudium

In lib. de Vera & falsa poenit. ca. 13. circa finem como 4.

ar. preced.

ar. preced.

A est cum dilatione cordis, tristitia vero cum constrictione. Et hoc modo loquitur Philosoph. in 9. Eth. Alio modo possunt loqui de gaudio, & tristitia, secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet, vel displicet. Et secundum hoc non possunt habere contrarietatem, nisi ex parte obiecti, puta, cum sunt de eodem, & secundum idem. Et sic non possunt simul esse gaudium, & tristitia: quia non potest simul idem secundum idem placere, & displicere. Si vero gaudium, & tristitia sic accepta non sint de eodem secundum idem, sed vel de diuersis, vel de eodem secundum diuersa, sic non est contrarietas gaudij, & tristitia, vnde nihil prohibet, hominem simul gaudere, & tristari: puta, si videamus, iustum affligi, simul placet nobis eius tristitia, & displicet eius afflictio. Et hoc modo simul potest alicui displicere quod peccauit, & placere quod hoc ei displicet cum spe venia: ita quod ipsa tristitia sit materia gaudij. Vnde & Aug. dicit in lib. de Poenitentia, Semper doleat poenitens, & de dolore gaudeat. Si tamen tristitia nullo modo compareretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas poenitentiae, sed actualis.

Ad 3. dicendum, quod secundum Philosoph. in 2. Ethic. ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Tristitia autem, quae in appetitu sensitiuo poenitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quadam est. Vnde moderanda est secundum virtutem, & eius superfluitas est vitiosa: quia inducit in desperationem. Quod significat Apostolus ibidem, dicens, Ne maiori tristitia absorbeat, qui eiusmodi est. Et sic consolatio, de qua ibi apostolus loquitur, est moderata tristitia: non autem totaliter ablatiua.

Hic articulo non oportet addere commentarium, ut dixi in fine praecedentis. Notanda vero est solutio ad 2. de contrarietate gaudij, & tristitia, & quomodo possint esse simul. De qua re videri possunt quae scripsimus in 1. tom. huius 3. partis, disput. 38. Sect. 3.

ARTICVLVS X.

Vtrum sacramentum Poenitentiae debeat iterari.



AD decimum sic proceditur. Videtur quod sacramentum poenitentiae non debeat iterari. Dicit enim Apost. Hebr. 6. impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt caeleste donum, & participes sunt facti Spiritus sancti, & prolapsi sunt, renouari rursus ad poenitentiam. Sed quicumque poenituerunt, sunt illuminati, & acceperunt donum Spiritus sancti. Ergo quicumque peccat post poenitentiam, non potest iterato poenitere.

Præterea, Amb. dicit in lib. de Poenitentia, Reperiuntur qui sapius agendam poenitentiam putant, qui luxuriantur in Christo, nam si vere poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum est baptisma, ita vna est poenitentia. Sed baptismus non iteratur: ergo nec poenitentia.

Præterea, Miracula, quibus Dominus infirmitates corporales sanauit, significant sanationes spiritualium infirmitatum, quibus scilicet homines liberantur à peccatis. Sed non legitur, quod Dominus aliquem cacum bis illuminauerit, vel quod aliquem leprosum bis mundauerit, aut aliquem mortuum bis suscitauerit. Ergo videtur quod nec alicui peccatori bis per poenitentiam veniam largiatur.

Præterea, Gre. dicit in hom. Quadragesima. Poenitentia est, anteacta peccata deslere, & flenda iterum non committere. Et I. Ieros.

In lib. de Vera & falsa poenit. ca. 13. in fine to 4.

In lib. de Vera & falsa poenit. ca. 13. in fine to 4.

Lib. 2. ex c. 36 & 9. h. ubi potest to 5.

4. dist. 14. q. 1. ar. 4. q. 3. & ar. 5. q. 2. & Heb. 6.

In lib. 1. de Poenit. ca. 10. post medium, to. 1.

Hom. 14. in Euang. post medium II. Et I. Ieros.

lib. 2. c. 66. in principio & habetur de Penit. dicitur c. lxxi. p. 10. His habet An. ser. 8. in p. 118. ante medium 20. a. refertur 23. q. 4. c. Est iniquitas, & dicitur esse Amb.

Et Ista dicit in lib. de Summo bono. Irrisor est, & non penitens, qui adhuc agit quod penitet. Si ergo aliquis vere penitet, non iterum peccabit. Ergo non potest esse quod penitentia iteretur.

4. Præterea. Sicut Baptismus habet efficaciam ex passione Christi, ita & Penitentia. Sed Baptismus non iteratur propter unitatem passionis, & mortis Christi. Ergo pari ratione nec Penitentia iteratur.

5. Præterea. Amb. dicit; quod facilitas venie incentiuum præbet delinquendi. Si ergo Deus veniam frequenter præbet per Penitentiam, videtur quod ipse hominibus præbeat incentiuum delinquendi. Et sic videretur delictari in peccatis, quod eius bonitati non congruit: Non ergo potest penitentia iterari.

Sed contra est, quod homo inducitur ad misericordiam exemplo diuine misericordie, secundum illud Lu. 6. Egoote misericors, sicut & Pater vester misericors est. Sed Dominus hæc misericordiam discipulis suis imponit, vt sepius remittant fratribus contra se peccantibus: vnde, sicut dicitur Matt. 18. Petro querenti, Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam eis vsq; septies, respondit Iesus, Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; ad septuagies septies. Ergo etiam Deus per penitentiam, veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos petere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Respondeo dicendum, quod circa penitentiam, quidam errauerunt, dicentes, non posse hominem per penitentiam secundo consequi veniam peccatorum: quorum quidam, scilicet Nouatiani, hoc in tantum extenderunt, vt dicerent, post primam penitentiam, que agit in Baptismo, peccantem non posse per penitentiam iterato restituere. Alij vero fuerunt heretici (vt Ang. dicit in lib. de Penitentia) qui post baptismum, dicebant quidem esse vtilem penitentiam, non tamen pluries, sed semel tantum.

Videntur autem huiusmodi errores ex duobus processisse. Primo quidem ex eo, quod errabant circa rationem vere penitentie. Cum enim ad veram penitentiam charitas requiratur (sine qua non deleatur peccata) credebant quod charitas semel habita non possit amitti, & per consequens penitentia, si sit vera, nunquam per peccatum tollatur, vt sic sit necessaria iterari. Sed hoc improbatum est in secunda parte, vbi ostensum est, quod charitas semel habita propter libertatem arbitrij potest amitti, & per consequens post veram penitentiam potest aliquis peccare mortaliter. Secundo ex eo, quod errabant circa estimationem grauitatis peccati: putabant enim adeo graue esse peccatum quod aliquis committit post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti. In quo quidem errabant, & ex parte peccati (quod etiam post remissionem consecutam, potest esse & grauius, & leuius, quam fuerit primum peccatum remissum) & multo magis contra infinitatem diuine misericordie, que superat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum, secundum illud Psalm. 50. Misere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Vnde reprobatum verbum Cain, dicens, Gen. 4. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Et ideo misericordia Dei peccantibus per penitentiam veniam præbet absque vilo termino: vnde dicitur 2. Para. 11. Inmensa, & inuestigabilis misericordia promissionis tue super malitiam hominum. Vnde manifestum est, quod penitentia pluries est iterabilis.

Ad 1. ergo dicendum, quod quia apud Iudeos erant secundum legem quedam lauacra instituta, in quibus pluries se ab immunditijs purgabatur, credebant aliqui Iudeorum quod etiam per lauacrum baptismi aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum: Apostolus scribit Hebræis, quod impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursum renouari ad penitentiam, scilicet per baptismum, qui est lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus.

Fr. Suarez tom. 4.

A ritus sancti, vt dicitur ad Tit. 3. Et rationem assignat ex hoc, quod per baptismum homo Christo commoritur, vnde subdit, Rursus crucifigentes sibi metipsos filium Dei.

Ad 2. dicendum, quod Amvrosius loquitur de penitentia solenni, que in Ecclesia non iteratur, vt infra dicitur.

Ad 3. dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de Penitentia, multos cacos & in diuerso tempore Dominus illuminauit, & multos debiles confirmauit, ostendens in diuersis illis eadem sepe peccata dimitti: vt quem prius sanauit leprosum, alio tempore illuminet cecum. Ideo enim tot sanauit cacos, claudos, & aridos, ne desperet de se peccator. Ideo non scribitur, aliquem nisi semel sanasse, vt quilibet imcat ungi peccato: medicum se vocat, & non sanus, sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum ingratum nesciret curare: medicorum est, centies infirmum, centies curare: qui ceteris minor esset, si alijs possibilia ignoraret.

Ad 4. dicendum, quod penitere, est ante acta peccata desistere, & stenda non committere: scilicet, simul dum sit, vel actu, vel proposito. Ille enim est irrisor, & non penitens, qui simul dum penitet agit quod penitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem, vel alio genere peccati.

Quod autem aliquis postea peccat, vel actu, vel proposito, non excludit quin prima penitentia vera fuerit, nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim vere currit qui postea sedet: ita vera penituit, qui postea peccat.

C Ad 5. dicendum, quod Baptismus habet virtutem ex passione Christi, sicut quedam spiritualis generatio cum spirituali morte procedenti vita. Statutum autem est hominibus semel mori, & semel nasci. Et ideo semel tantum debet homo baptizari. Sed penitentia habet virtutem ex passione Christi, sicut spiritualis medicatio, que frequenter iterari potest.

Ad 6. dicendum, quod secundum Aug. in libr. de Peccatorum, constat Deo multum displicere peccata qui semper peccato est ea destruere, ne soluantur quod creauit, nec corrumpatur quod amauit, scilicet per desperationem.

In lib. de Vera & falsa Penit. c. 5. 10. 4.

In lib. de Vera & falsa Penit. c. 5. non longe à principio tom. 4.

COMMENTARIVS.

D Vamuis D. Thom. quaestionem hanc moueat de sacramento, communis tamen etiam est virtuti Penitentia: & locum habuit in statu legis veteris, & naturæ. Potest autem intelligi, vt supra dixi, de iteratione Penitentia: circa idem peccatum, vel circa diuersa peccata, vt quando homo iterum incidit in peccatum postquam alterius penitentiam egit. D. Thom. igitur hunc tantum posterorem sensum intendit: & ita definit contra hereticos Nouatianos & alios, penitentiam toties posse vtiliter, & debere iterari, quoties peccatum iterum commissum fuerit, siue in eadem, siue in quauis alia specie peccati, etiam grauisima. Quam fidei veritatem optime D. Thom. confirmat ex Scripturæ testimonio, & ex infinita Dei misericordia. Et in solutionibus argumentorum clarissime dissoluit omnia, quæ in contrarium obici possunt. Inter quæ solum habet difficultatem locus ad Hebr. 6. querit infra in disputatione de hac re ex professo tractabimus, cum alijs similibus, qui ad eandem quaestionem pertinent.

De alio vero sensu quaestionis merito hic D. Thom. nihil dicit, quia ex precedentibus articulis definitus est. Distinguedu enim est verbum illud debeat, in titulo articuli positum, Nam potest dicere aut solum potestatem, aut etiam necessitatem & obligationem: priori modo certum est ex dictis Penitentiam posse iterari circa eadem peccata, & infra ostendemus, peccatum semel rite confessum posse esse materiam iteratæ confessionis, & sacramenti. Posteriori...

B 2

Articulus

teriori autem sensu clarum est, etiam post semel actam poenitentiam perfectam alicuius peccati non esse necessarium, seu præceptum, illam iterare, nec in sacramento, neque extra illud. Quæ omnia infra suis locis ex professo probabimus.

Obseruandum tandem est circa literam huius articuli in fine, D. Tho. referre quædam verba ex c. ult. lib. 2. Paral. quæ ibi non reperiuntur, neq; in aliquo libro canonico. Sumpta vero sunt ex Oratione Manassæ, quæ extra canonem librorum sacrorum ponitur. Solebat autem poni ad finem librorum Paral. & ideo D. Th. illo modo ipsam allegat, & quamuis canonica non sit, est sine dubio optima, & verba quæ D. Thom. ex ea sumpsit, sunt ad rem præsentem valde accommodata.

QVÆSTIO LXXXV.

De Sacramento Poenitentia, secundum quod est virtus, in sex Articulos diuisa.



Inde considerandum est de poenitentia secundum quod est virtus.

Et circa hoc queruntur sex.

Primo, Vtrum poenitentia sit virtus.

Secundo, Vtrum sit virtus specialis.

Tertio, Sub qua specie virtus contineatur.

Quarto, De subiecto eius.

Quinto, De causa ipsius.

Sexto, De ordine eius ad alias virtutes.

ARTICVLVS I.

Vtrum Poenitentia sit virtus.

4 di 24 q 1. ar 1 q 2. ar 3 q 1 cor. Et ad 2 q 2. Et 4. q præc ar. 1. Et q 65 ar. 1. Lib. 4 c. 6. Et. 26 25.



Primum sic proceditur. Videtur quod Poenitentia non sit virtus. Poenitentia enim est quoddam sacramentum aliis sacramentis connumeratum: vt ex supra dictis patet. Sed nullum aliud sacramentorum est virtus. Ergo neque poenitentia est virtus.

Præterea. Secundum Philosoph. 4. Ethic. verecundia non est virtus: tum quia est passio habens corporalem immutationem, tum etiam, quia non est dispositio perfecti, cum sit de turpi facto, quod non habet locum in homine virtuoso. Sed similiter Poenitentia est quoddam passio habens corporalem immutationem, scilicet ploratum, (sicut Greg. dicit: quod poenitere est peccata a præteritis plangere) est etiam de turpibus factis, scilicet licet, de peccatis, quæ non habent locum in homine virtuoso. Ergo Poenitentia non est virtus.

Homi 34 in Euang post medium Et licet, de peccatis, quæ non habent locum in homine virtuoso. in Reg lib 9. Ergo Poenitentia non est virtus. c. 39 non longe à fine.

Præterea. Secundum Philosoph. 4. Ethic. nullus est stultus eorum qui sunt secundum virtutem. Sed stultum videtur dolere commisso præterito, quod non potest non esse, quod tamen persistet ad Poenitentiam. Ergo Poenitentia non est virtus.

Sed contra est, quod præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legislator intendit cives facere virtuosos: vt dicitur 2. Ethic. Sed præceptum diuini legis est de Poenitentia, secundum illud Math. 4. Poenitentiam agite, &c. Ergo Poenitentia est virtus.

Lib 2 ca 1 a mod. tom 5. In isto ar. ex Reg. 1. Et q præc. q præc ar. 2. Lib. 2 c. 2. Et tom. 5.

Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet, poenitere est de aliquo prius à se facto dolere. Dicitur est autem supra, quod dolor, vel tristitia dupliciter dicitur. Vno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitui, & quantum ad hoc Poenitentia non est virtus, sed passio. Alio modo secundum quod consistit in voluntate: & hoc modo est cum quadam electione. Quæ quidem si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis: dicitur enim 2. Ethic. quod virtus est habitus electionis secundum rationem rectam: vt aliquis doleat, de quo do-

lendum est, & eo modo & sine, quo dolendum est. Quod quidem obseruatur in Poenitentia, de qua nunc loquimur: nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remouendi ea. Vnde manifestum est, quod Poenitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.

Ad 1. ergo dicendum, quod (sicut dictum est) in sacramento Poenitentia materialiter se habent actus humani: quod non contingit in Baptismo, vel Confirmatione. Et ideo cum virtus sit principium alicuius actus, potius Poenitentia est virtus, vel cum virtute, quam Baptismus, seu Confirmatio.

Ad 2. dicendum, quod Poenitentia secundum quod est passio, non est virtus: vt dictum est: sic autem habet corporalem transmutationem adiunctam. Est tamen virtus secundum quod habet ex parte voluntatis electionem rectam. Quod tamen magis potest dici de Poenitentia, quam de verecundia: nam verecundia respicit turpe factum, vt præsens, pro quo timet confundi: Poenitentia vero, vt præteritum. Est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis in presenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari: non est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum ex virtuoso fiat aliquis virtuosus.

Ad 3. dicendum, quod dolere de eo quod prius factum est, cum intentio remouendi ad hoc, quod factum non fuerit, esse stultum. Hoc autem non intendit poenitens, sed dolor eius est displicentia, seu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi sequelam ipsius: scilicet offensam Dei, & reatum poenitentia. Et hoc non est stultum.

COMMENTARIVS.

Respondet D. Thom. Poenitentiam aut esse virtutem, aut actum virtutis: virtus enim simpliciter dicta habitum significat, & ideo habitualis poenitentia virtus erit, exercitium autem eius erit actus virtutis. Adhibet vero D. Tho. limitationem, dicens, Poenitentia de qua nunc loquimur, &c. quia potest etiam esse aliqua poenitentia, quæ non sit virtus, tamen nunc loquimur de Poenitentia, quæ sit secundum rectam rationem, & illam dicimus esse virtutem. Vnde duo in presenti resolutione continentur, vnum est, posse dari aliquam poenitentiam in obiecto, & circumstantiis conformem rectæ rationi: secundum est ad hoc consequens, talem poenitentiam esse virtutem. Cætera in sequentibus disputationibus exponentur.

DISPVATIO II.

De obiecto virtutis poenitentia.



Vanius in disputatione præcedente locuti fuerimus de virtute Poenitentia, vt indifferens est ad actum, vel habitum: hic iam agimus de propria virtute, seu de habitu ipso, cui nomen virtutis simpliciter attribuitur. Quia vero habitus & potentia ab obiecto, medijs actibus, speciem sumit: ideo ad explicandam naturam & essentiam huius virtutis, primo tractandum est de obiecto, deinde de actibus eius, postea de habitu, ac denique de causis & effectibus illius. In obiecto autem distingui solet materiale, & formale: quæ à nobis sigillatim explicanda sunt.